

*vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emitendam professionem, &c. videatur innuere, solam coactionem ad ingressum Monasterii sufficere pro incurrenda excommunicatione: ideoque sub gravi esse prohibitam; tamen res ita se non habet: mens enim Concilii fuit consulere libertati puellarum, &c. circa electionem status, ac impedire coactionem earumdem ad ingrediendum Monasterium, ut ibi habitum induant, ut tradunt Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 9. n. 4. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 4. n. 12. aliisque, quorum assertio ex eo vera conjicitur, quod Concilium ibi loquitur de illo ingressu in Monasterium, qui per se, ac jure ordinario permititur, cuiusmodi est solus ingressus ad finem suscipiendi habitum; ut patet ex eo, quod si aliqua velit aliter ingredi, nempe sine animo ibi habitum suscipiendi, pro tali ingressu requiritur dispensatio. Quare cum Parentes, de quibus quæsitum procedit, non compellant filiam ad Monasterii ingressum, ut ibi suscipiat habitum; sed tantum ut ibi remota a seculi periculis per aliquod tempus immoretur, quoque idoneus ei sponsus inveniatur; dicendum hanc compulsionem non esse contrariam menti Concilii, immo, utpote factam ex justo rationabilique motivo, in casu licitam esse parentibus. Ita Einman. Rodrig. in sum. tom. 2. cap. 8. n. 9.*

**ANNO MDCCCLIII.  
MENSE JANUARII.**

**CAS. I.** *P*arochus, accepta eleemosyna pro decem Missis celebrandis in suffragium defuncti, differt complementum earumdem usque ad bimestre. Q. an licite?

Resp. cum dist. *Vel Parochus id facit de consensu illius, qui tribuit eleemosynam, Missasque ordinavit; vel sine tali consensu, & ex proprio arbitrio. Si primum; dico, licite ipsum differre complementum earumdem usque ad bimestre: siquidem eo tunc id licere, non obscure colligitur ex pluribus S. Congregationis Concilii responsionibus, signanter ex illa ad dubium duodecimum circa decreta de celebr. Missar. edita auctoritate Urbani VIII. ac postea confirmata ab Innocentio XII. die 22. Decemb. 1697. necnon ex alia diei 9. Januar. 1627. ad dubium sextum ex propositis ab Episcopo Triguriensi; prout videri potest apud Mattheuccium de Offic. Cur. cap. 10. §. 2. n. 47. ac Pacem Jordanum tom. 1. Elucubr. lib. 5. tit. 1. de Sacrif. Miss. Si secundum; dico, Parochum illicite differre &c. ut in primis eruitur ex prohibitione accipiendo eleemosynas manuales pro Missis, quibus satisfieri nequit infra modicum tempus, hoc est, intra unicum mensem, prout explicuit eadem S. Congregatio 17. Julii 1655. teste SS. D. N. Papa Benedicto XIV. in Notif. 15. tom. 3. Deinde motivum ac finis, ob quem Missæ in casu præscriptæ sunt, est admodum urgens, liberatio nempe animæ defuncti*

*à diris, quibus interim cruciatur, Purgatorii poenis. Hinc sicuti si Missæ ordinatæ fuissent pro graviter infirmo, tamdiu differri non posset complementum earumdem; ita & quidem à fortiori; idem dicendum in casu. Propterea Pasqualigus de Sacrif. nov. Leg. t. 2. q. 965. n. 9. ait: Quando committuntur Missæ pro recenter defuncto, debent quamprimum, & sine dilatione celebrari; nam occasio, ob quam sunt celebrandæ, exigit quod sine dilatione celebrentur: si quidem si celebrandæ sunt ex commissione defuncti, remanet moraliter certum, nisi aliud expresserit, quod voluerit hoc subsidium statim post mortem. Si vero committuntur ab alio, occasio, ob quam committuntur, cum contineat præsentem indigeniam, præscribit celeritatem in celebrando. Possent tamen, quando esset magnus numerus Missarum, celebrari cum aliqua dilatione, ita tamen ut quotidie nonnullæ celebrentur. Hactenus Pasqualigus.*

**CAS. II.** Accepit Sacerdos eleemosynam pro Missa celebranda ad quodcumque Altare voluerit; cumque eam celebret ad Altare privilegiatum, applicat Sacrificium pro onore suscepit, & Indulgentiam pro suo Consanguineo defuncto. Q. an rite hoc peragat?

Resp. cum dist. *Vel privilegium Altaris concessum fuit (prout regulariter concedi solet) solum pro eo quo ibi offertur Sacrificium; & tunc clare patet, quod Sacerdos id rite non peragit; nam Indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus qui dat Indulgentiam, ut ait S. Thom. in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 5. quæst. 3. ad 2. Propterea si Pontifex pro eo tantum illam concessit, pro quo ibi Missa applicatur, constat non stare in arbitrio Sacerdotis eam applicare pro anima sui consanguinei defuncti, sed (velit, nolit Sacerdos) præsupositiis requisitis ab eo lucratur, pro quo ibi offeritur Sacrificium. Passerinus de Stat. tom 2. quæst. 187. art. 4. num. 988. Vel privilegium Altaris concessum fuit indeterminate quoad subiectum Indulgentiæ, ac præcise sub ea conditione, quod ibi Missa celebretur, & tunc dico cum Suarez, Rosignolo, & aliis, quorum sententiam non improbarem vocat Theodorus a Spir. Sanct. de Indulg. part. 2. cap. 1. art. 4. §. 1. quod Sacerdos in casu rite id peragit; nam ex una parte illi, pro quo Missa applicatur, correspondet omne id, ad quod jus habet, nempe totus, ac integer fructus medius, seu specialis Sacrificii; ex alia cum Indulgentia nulli sit determinate affixa, potest à Celebrante applicari cui vult, sicque suo consanguineo defuncto; tunc enim applicatio ejusdem pendet à Celebrantis arbitrio; & celebratio Missæ requiriatur, ut merum opus iunctum pro applicatione, & lucro Indulgentiæ. Puteobonellus de Sacrif. Miss. quæst. 4. art. 2. §. 2. num. 14. teste monens, pro ipsa Indulgentiæ applicatione exigere non posse stipendium.*

**CAS. III.** Peracta à Capellano prima consecratione, sincope fuit abrepitus, propterea fuit illi substitutus alius Sacerdos, qui Sacrificium perficeret. Ast quia tum hic, cum ille applicuit Sacrificium. Q. an hoc prosit illi, cui fuit applicatum à primo; an cui à secundo?

Resp. probabilius illi prodesse, cui fuit applicatum à secundo. Ratio est, quia ut Sacrificium proposit cui applicatur, debet esse completum atque perfectum in suo esse; quoque enim causa non est perfecta in ratione causæ, apta non est producere effectum; atque juxta communem, probabiliorē que-

que sententiam, Sacrificium fuit in suo esse completum, atque perfectum ut peractum à secundo, non sic ut peractum à primo; cum ad id, ultra consecrationem panis, plausibilior sententia requirat ad minus etiam consecrationem vini: ergo probabilius illi prodest, cui fuit applicatum à secundo. Neque dicas, Sacrificium semel applicatum non esse amplius applicabile; id enim valet quando Sacrificium est jam ultimatum, ac suum habuit effectum; non vero quando est adhuc in fieri; siquidem in hoc casu, sive sit idem Sacerdos, qui illud perficere prosequatur, sive sit alius, qui ob alterius defectum illud compleat, convenit quidem ut priori applicationi se accommodet: at sine peccato, etiam veniali, potest priorem applicationem mutare antequam illud in suo esse perficiat; per ipsum namque Sacrificii complementum, illud ponit in statu producendi fructum medium, circa quem propterea acquirit jus disponendi de illo, ipsumque applicandi, cui voluerit, antequam det Sacrificio esse completum, & ultimatum, ut cum Dicastillo, Gaspare Hurtado, & Jo. Præposito recte tradit Pasqualigus de Sacrif. Nov. Leg. tom. I. q. 169. & cum Palao, ac Tamburino, Girib. de Sacr. Mis. cap. 4. dub. I. num. 6. Et parum refert, quod unus alteri succedat in eadem actione; nam qui subintrat, non succedit accessorie, sed tamquam principalis, in locum alterius.

### M E N S E F E B R U A R I I.

**CAS. I.** Titius propinavit venenum suo inimico; quo sumpto, cum hic morbi angustiis premeretur, se dedit è rupe præcipitem, & fractus occubuit. Q. an Titius reservationem incurrit?

Resp. cum dist. Vel infectus veneno dedit se è rupe præcipitem ex vi, & agitatione veneni: vel ex alia causa, puta ex desperatione, aut &c. Si primum; dico, Titum incurrisse reservationem, ni forte per confessionem ante illius mortem, perpetratum facinus terrataverit. Ratio est, quia hujusmodi mors in tali casu est verum homicidium Titio voluntarium in ipsa propinatione veneni, tamquam in causa proxima, & ordinata ex se ad mortem. Si secundum; dico, Titum reservationem non incurrisse: quemadmodum enim si ab uno lethaliter vulneratus iterum ex proposito feriatur, & occidatur ab alio, tunc non primus, sed secundus incidit in reservationem, quia hic est verus homicida, l. Item nulla, §. Celsus, ff. ad leg. Aquili. ita quia in hoc casu veneno infectus semetipsum, v. g. ex desperatione, dando è rupe præcipitem, simul se morti tradidit, dicendum, quod Titius in isto casu reservationem non incurrit, cum reservatio intelligatur de opere externo costumato, & completo, quando reservans aliud non expressit; ita Bellochius, Mazzuchelus, Girib. & comm.

**CAS. II.** Sacerdos mane diei festivæ existens in peccato mortali, ac impotens habere tum Confessarium, cui confiteatur, cum alium Sacerdotem, à quo Missam audiat, omittit Missæ celebrationem. Q. an violet tertium præceptum Decalogi?

Resp. neg. Ratio est, quia per tertium Decalogi præceptum nec determinate præcipitur sanctificatio illius festivæ diei, de qua quæsitum procedit;

ne-

neque ut sanctificatio fiat per auditionem, aut celebrationem Missæ; si quidem per tale præceptum ultra abstinentiam ab operibus servilibus mandatur quidem, ut diebus Deo sacris offeratur eidem aliquis religiosus cultus externus; at determinatio sive dierum, quæ religiose à nobis coli debent sive cultus per celebrationem, vel auditionem Missæ, habetur ex solo Ecclesiæ præcepto, ut passim notant DD. Propterea dubitari solummodo potest, an Sacerdos, in casu, violet Ecclesiæ præceptum, quod dubium hac distinctione resolvit: Vel talis Sacerdos simul est Parochus; eoque non celebrante, populus remanet absque Missa; & tunc dico, per celebrationis omissionem ipsum violare Ecclesiæ præceptum; quia cum ex officio, & iustitia tenetur tali die populo providere de Missa, & jure naturali, ac divino obviare scandalo, alias in populo secuturo, inde emergit urgentissima obligatio sibi consulendi per actum contritionis ac celebrandi, ut Parochiani Missam audiant, & sic ut etiam ipse cum illis præcepto satisficiat. D. Thomas in 4. dist. 16. in exp. lit. v. *Caveant etiam ne prius.* Vel est Sacerdos simplex, nec ullum sequitur in populo scandalum propter hujusmodi omissionem; & tunc dico, ipsum per hanc probabilius non violare Ecclesiæ præceptum, sed recte se gerere non celebrando, immo teneri ad noncelebrandum, quia in tali casu nulla est necessitas celebrandi, cum in ea circumstantia præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam non obliget, stante concursu, & præponderantia alterius præcepti Divini, non symendi Eucharistiam nisi præmissa Confessione peccati mortalis, quam ob deficientiam Confessarii tunc præmittere inequit. Navarrus in Man. c. 7. n. 1. aliisque. Neque hoc est reportare commodum ex iniquitate: in primis enim id non oritur ex iniquitate, sed ex deficientia Confessarii. Deinde deficere ab eis, quæ homo tenetur facere, est gravissima pena; nam virtuosi actus sunt quædam hominis perfectiones. D. Thom. 2. 2. q. 68. art. 1. ad 1.

**CAS. III.** Commissit Parochus proprio Capellano, ut in ipsius absentia exerceat omnia illa munia Parochialia, quæ si ipse esset præsens, exercebat. Interim accidit, ut vir, & mulier se præsentaverint Capellano, & coram ipso ac testibus Matrimonium inierint. Q. an tale Matrimonium subsistat?

Respondeo affirm. Nihil enim deesse videtur tali Matrimonio ad hoc, ut subsistat; si quid enim illi deest, vel est præsentia idonei substituti à Parochio per deputationem speciale ad assistendum Matrimonii, vel est quia contrahentes tali Sacerdoti se præsentaverint, ac expresserint muruum consensum in Matrimonio, non præmissis denuntiationibus. Jam vero neutrum in casu reddit Matrimonium invalidum, ac insubsistens. Non primum; quia sufficere præsentiam Sacerdotis deputati à Parochio per deputationem generalem, declaravit ipsamet S. Congregatio Concil. die 12. Jun. 1581. teste Fagnano de Clandest. despon. c. Quod nobis, n. 32. nam licentia generalis idem operatur quoad comprehensa sub genete, quod specialis quoad species. l. Sirchorus de Legat. 3. & qui deputat aliquem ad exercenda omnia Parochialia munera, deputat simul & semel ad hoc, quod est assistere Matrimonio, cum ex una parte etiam hoc sit munus Parochiale; ex alia in jure cautum non sit, quod pro valida assistentia deputati requiratur mandatum Parochi speciale ad assistendum Matrimonii, Navarrus cons. 13. de cland. desp.

desp. in sec. edit. Non secundum: nam sicuti si taliter contrahentes se ita præsentasserit ipsimet Parocho, & coram ipso eodem modo contarxisserit, Matrimonium esset validum, eo quia denunciations requiruntur ad licite, non tamen ad valide contrahendum; ita validum quoque dici debet in casu, eum Tridentinum quoad hoc aliud non requirat, quam quod assistat vel ipse Parochus, vel alter Sacerdos de ipsius Parochi, aut Episcopi licentia. Vide Rosignolum de Matrim. I. prænot. 35. n. 6. & Giribaldum eod. tract. c. 7. dub. 10.

### M E N S E M A R T II.

**CAS. I.** **H**abuit Poenitens in satisfactionem recitationem Coronæ B. Virginis, eamdemque recitavit, non tamen unico contextu, sed per decades, diversis horis ejusdem diei interpolatas. Q. an taliter poenitentiae satisficerit?

Respondeo affirm. Ratio est, quia recitatio Coronæ est oratio non indi-  
visibilis, sed tot partibus, quot decadibus, composita: quemadmodum etiam  
divinum Officium est unica oratio constans ex semptem Horis tamquam ex  
septem partibus. Hinc sicuti recitans in septem horis ejusdem diei interpolat-  
as septem Horas Officii, hoc unus adimplerit; ita & qui recitat Coronam per  
decades interpolatas, satisfacit Voto, aut poenitentiae talis recitationis: ita  
Navarrus de Orat. c. 10. n. 30. & seqq. & Beja p. I. cas. 51. id adnotantes,  
quod qui id facit ex justo, ac rationabili motivo, aut causa majoris devotionis,  
laudabiliter id præstat; sicuti è contra qui id facit ex accidia, ac tædio labo-  
ris, vituperandus, ut de se compertum est,

**CAS. II.** Confessarius de licentia Poenitentis confert cum viro docto ca-  
sum quemdam pro consilio; hoc auditio, Consiliarius cum aliis de eodem  
loquitur. Q. an hic frangat sigillum?

Resp. affirm. cum Suarez, Lugo, cæterisque communius. Ratio desumitur ex auctoritate & doctrina Angelici præceptoris, qui in Suppl. 3. p. q. 11. art. 4. ad 4. hæc habet: *Ille, ad quem notitia peccati devenit, mediante Sacerdote, de voluntate confitentis, participat in aliquo actu Sacerdotis; & ideo simile est de eo, & de interprete; nisi forte peccator velit, quod ille absolute sciat libere. Sed interpres frangit sigillum, & quidem Sacramentale, si cum aliis loquatur de casu auditio in Confessione; nam S. Doctor ead. q. art. 3, in c. inquit: Sicut aliquis, qui non est Sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clavis, dum confessionem audit propter necessitatem; ita etiam participat aliquid de actu sigilli Confessionis, & tenetur celare: ergo etiam Consiliarius frangit Sacramentale sigillum, si cum aliis loquitur de casu au-  
ditu à Confessario. Neque dicas, S. Doctorem post verba ultimo allata im-  
mediate subjungeret: quamvis, proprie loquendo, sigillum Confessionis non ha-  
beat: nam per hoc vult solum innuere, quod non Sacerdos (de quo ibi lo-  
quitur), alterius Confessionem audiens propter necessitatem, non habet sigil-  
lum Confessionis per se, & ut Minister Sacramenti; ut clare patet ex verbis,  
quaे in principio ejusdem auctoritatis præmittit S. Doctor: Dicendum quod sigillum Confessionis competit Sacerdoti in quantum est Minister hujus Sacra-  
menti. At non negat, quod habeat sigillum Confessionis per accidens, & qua-*

tenus audit alterius Confessionem, nam in hoc sensu postea subdit, quod participat aliquid & de actu clavis, & de actu sigilli Confessionis, ideoque tenetur celare. Alias rationes vide apud Emin. de Lugo de Sacr. Pœn. disp. 23. sect. 2. n. 25. & seq.

**CAS. III.** Fabius indigens nummis, mutuo petit scuta centum à Francisc-  
co, huic exhibens ultra sortem quatuor pro tali summa elapso anno. Annuit  
Franciscus, dummodo Fabius acceptet medietatem in pecunia, & me-  
diatatem in mercibus communi pretio æstimatis. Q. an talis Contractus sit  
licitus?

Resp. eum esse illicitum. Ratio est, quia, etiam dato quod Franciscus ob-  
justum aliquem titulum licite conveniat cum Fabio, ut post annum ipsi sol-  
vat illa quatuor ultra sortem; nequit tamen juste illi imponere hoc grava-  
men, quod ab ipso acceptet medietatem mutui in mercibus: id enim est mu-  
tuare cum pacto, ut Fabius (quod usurarium est) merces ab ipso emat; nam  
recipere partem mutui in mercibus, est istas emere. Propriera si Francis-  
cus imponit Fabio hanc obligationem, Contractus illicitus est. Excipiunt  
Salas de Usuris dub. 16. De Lugo, & alii, si Fabius indigeat mercibus, &  
has eodem pretio esset ab alio empturus; tunc enim inquietunt, cum dicta  
obligatio non sit mutuarii incommoda, ipsam deducere in pactum usura  
non est, præcipue cum mutuarii voluntarie ipsam acceptet. Et ratio fun-  
damentalis est, quia usura est peccatum injustitiae lœdens, aut gravans pro-  
ximum invitum; quod in casu non amplius verificatur. Verum probabilius  
censeo, quod etiamsi Fabius indigeat mercibus, adhuc illicitum sit eam obli-  
gationem deducere in pactum. Ratio est, quia sic auferitur ab eo libertas  
emendi merces ab alio; & adigitur eas emere à Francisco; cui si consentit,  
forte id facit, quia aliter non ita facile in nummis totum mutuum inveniret.

### M E N S E A P R I L I S.

**CAS. I.** **P**Arochus ex vetustis quibusdam planetis alias planetas conficit,  
ac ex stolis manipulos; & absque eo quod hæc novæ benedictio-  
ni supponat, eisdem utitur in Missa. Q. an licite?

Resp. negat. Parochus enim ac alias quicumque Sacerdos, ut nequit in  
Missa, & quidem ex gravi præcepto, indumentis non benedictis, prout ex  
C. Vestimenta de Consecr. dist. I. notant Quartus, & alii DD. comm. Jam ve-  
ro benedictæ nequeunt dici Planetæ ex aliis vetustis confectæ, neque Mani-  
puli, queis utitur in casu; sicuti enim benedicta, aut consecrata dici nequit  
Ecclesia per integrum ædificata ex lapidibus, ac camentiis alterius Ecclesiæ  
olim benedictæ, aut consecratæ, eo quia statim ac hæc demolita, benedi-  
ctionem, aut consecrationem amisit; ita nec benedictæ dici possunt plane-  
tæ, aut manipuli per hoc, quod ista confecta fuerint ex aliis planetis, ac sto-  
lis benedictis; eo quia statim ac istæ discussæ fuerint, amiseruntque formam  
artificialem, cum qua sacro erant aptatae ministerio, simul etiam benedictio-  
nem amiserunt: pereunte namque subjecto benedictionis, indumento nem-  
pe sub ea figura, & forma, necesse est, ut pereat etiam benedictio illi inhæ-  
rens. Quartus in Rubr. Miss. p. 2. tit. I. sect. 4. dub. 4. SS. D. N. Papa

Benedictus XIV. instit 21. n. 1. & comm. Neque dicas, saltem manipulos aliquo modo retinere eamdem figuram, etsi breviorem, & sacro adhuc aptos esse ministerio; non enim retinent amplius figuram Stolæ sub cuius forma benedictionem, & aptitudinem acceperunt ad sacram ministerium; transieruntque in indumentum alterius generis; quod sufficit ut nova indigent benedictione, ut advertit idem SS. D. N. ibidem. Propterea dicendum, quod Parochus illicite se gerat.

CAS. II. Debeat Sejus quinque aureos Cajo habitanti Florentiæ, cum petiti à Confessario, ab ipso putato pio, & docto, an suæ obligationi satisferet, illos distribuendo pauperibus. Annuit Confessarius, factaque distributione, adverrit, quod facile per Mercatores poterat suo Creditori satisfacere; unde coepit dubitare, an respectu Caji ipsi remaneret aliqua obligatio. Quid dicendum?

Resp. cum dist. Vel Sejus debebat hos quinque aureos Cajo titulo injustæ acceptio[n]is, aut ex contractu oneroso: & tunc dicendum, quod ipsi remanet tota obligatio respectu Caji. Vel eos Cajo debebat tituli rei acceptæ, & tunc dicendum, quod nulla ipsi remanet obligatio. Ratio pr. part. est, quia usquequo res, tali modo alteri debita, non reponitur in manu Creditoris, aut ejus qui legitime ipsius personam repræsentat, non est ablata inæqualitas posita per injustam acceptio[n]em, cum creditor minus habeat, quam habere debet; neque est posita æqualitas exacta à justitia contractus; ideoque Sejo adhuc inest obligatio ponendi hanc æqualitatem per solutionem: consilium etenim Confessarii hanc non posuit; & fecit quidem Sejum pro eo tunc immunem à culpa; at non fecit creditorem indemnem, prout propriea fieri debet à Sejo per solutionem. Ratio sec. part. est, quia obligatus titulo rei acceptæ, tenetur solum restituere rem, si extat, & si non extat, id, in quo ex ea factus est ditor. Propterea cum neutrum in casu verificetur, utpote quia quinque aurei juxta Confessarii consilium supponuntur jam distributi pauperibus, nec Sejus ex iis factus est locupletior; ideo dicendum, quod in isto casu Sejus pro foro conscientie ad nihil amplius teneatur erga Cajum. Vide Lacroix lib. 3 p. 2. n. 97. & 422.

CAS. III. Lælius dedit Bernardo 20. aureos, aliosque eidem promisit, si Cajum ipsius inimicum occideret. Peregit Bernardus opus iniquum. Q. an hic possit licite retinere aureos acceptos, & promissos exigere?

Resp. affirm. Ratio est, quia completo contractu, ex una parte justitia postulat, ut perficiatur ex alia, cum opus malum sit pretio æstimabile, non quatenus malum, sed quatenus laboriosum, ac periculosem perpetranti, & quatenus utile, vel delectabile ipsum mandanti. Nec obstant leges, quæ adduci solent in contrarium; nam licet hæc pacta turpia, & iniqua rescindant, tamen non reddunt iniquam acquisitionem rei ex tali causa, nec faciunt accipientem inhabilem ad comparandum ejus dominium; sed solum videntur decernere, ut ante opus patratum hujusmodi pacta habeantur ut iniqua, & ut ex eis non oriatur obligatio civilis, ob quam possit in judicio peti promissum. Cærerum credibile non est, per has leges rescindi obligationem naturalem, ex talibus pactis opere patrato consurgentem; siquidem leges positivæ ita sunt explicandas, si fieri possit, ut consonent dispositioni juris na-

turalis. Hinc cum jus naturale in casu disponat, ut qui promisit, ne dum teneatur ex fidelite, verum etiam ex justitia (agiur enim de promise onerosa, ac de contractu in nominato: *Facio ut des, Do ut facias*) dicendum, quod Bernardus peccavit quidem accipiendo predictos aureos sub conditione, & pacto homicidii perpetrandi, & quod ante patratum homicidium tenebat eos restituere, eo quia, cum nemo possit obligari ad peccatum, talis promissio nullus roboris erat, attamen quod, homicidio patrato, possit licite retinere aureos acceptos, ac promissos exigere. D. Th. 2. 2. q. 32. art. 7. in c. & q. 62. art. 5. ad 2. Aliisque comm.

### M E N S E M A I I.

CAS. I. Tullius invasus ab inimico, etiamsi potuerit ab hoc se defendere sola percussione, in sui defensionem istum occidit. Q. an teneatur reficere omnia damna familie occisi?

Respondeo, probabilius eum teneri solum ad ratam excessus in moderamine. Ratio est, quia tantum quis debet restituere pro refectione damnorum, in quantum violavit justitiam commutativam cum gravi culpa theologica, ut tradunt DD. comm. in tract. de Restit. Atqui Tullius, in casu cum gravi culpa theologica violavit justitiam commutativam solum ad ratam excessus in moderamine; nam in reliquo usus est iure suo, cum liceat vim vi repellere, ac semetipsum inuste invasum defendere: ergo solum ad ratam talis excessus tenetur reficere damna familie occisi. Neque dicas, per gravem injuriam tantum damnum causasse, ideoque tenet ad totalem refectionem ejusdem. Contra enim, sicuti injuria non fuit nisi quantum ad excessum, ita solum cum proportione ad hunc reparationis obligatio est peritorum iudicio taxanda: invadens enim, statim ad inuste invasit, fecit Tullio potestatem ut ageret, quantum dicere posset, ad se defendendum, amisitque jus ad compensationem damni ipsi, ac familie illati ob necessariam defensionem. Lessius lib. 2. c. 9. hum. 135. & Bonacina de Restit. disp. 2. q. ult. sect. 2. punct. 1. n. 3.

CAS. II. Beneficiarius variis mentis cogitationibus voluntarie distractus, recitat divinum Officium. Q. an faciat fructus suos, & operi Officii satisfaciat?

Resp. neg. quoad utrumque circa eas Horas, quas notabili cum distractione recitat. Ratio quoad onus Officii est, quia illius recitatio, utpote oratio ac cultus externus erga Deum, non tam ore, quam mente, & corde fieri debet, juxta illud Apostoli ad Cor. 14. *Orabo spiritu, orabo & mentes psallam spiritu, psallam & mente.* Item quia in c. 1. de celebr. Missar. recitantibus Officium præcipitur in virtute sanctæ obedientiae, ut illud recitent studiosæ quantum ad prontintationem exteriorem, & devote quantum ad interiore, ut ibi explicat Glossa: quo posito, sic dissero: Quando aliquid requiritur cum aliqua qualitate, ad ejus implementum non sufficit hoc sine illa, C. *Licet causa cum ejus,* annot. de Probat. Sed pro satisfactione Officii jus requirit recitationem sejunctam à voluntariis distractionibus, & comitatem ab attentione: ergo &c. ideoque &c. Neque dicas, Ecclesiam non præci-

cipere actum internum ; & attentionem continuatam pro tempore totius Officii esse impossibilem , cum , nobis nolentibus , etiam in Sanctis , mens distrahat , juxta illud Psalm. 39. *Cor meum dereliquit me.* Contra enim , licet Ecclesia non præcipiat actum internum directe , ac principaliter ; præcipit tamen indirecte , concomitanter , & consequenter , scilicet , quandoactus externus , qui præcipitur , trahit secum necessario actum internum tamquam sui formam , & substantiam , ut patet in dolore pro Confessione &c. Porro recitatio divini Officii , utpote species orationis , est necessario etiam ipsa elevatio mentis ad Deum , ideoque requirit attentionem . Ad aliud dico , quod attitudo duplex est : Actualis una , consistens in actuali reflexione ad id quod agitur : virtualis altera , consistens in firme animi proposito attendendi , quantum humana imbecillitas sinit à principio usque ad finem actionis , cum exclusione cujuscumque voluntariae distractionis . Prima sine speciali gratia Dei vere haberi non potest pro toto tempore Officii , & ideo præcepta non est , neque necessaria . Secunda , quæ volenti facilis est , sufficit , eaque præcipitur . Atqui Beneficiarius variis mentis cogitationibus voluntarie distractus in recitatione Officii , neque hanc habet ; ergo oneri Officii non satisfacit . Ratio postea , ob quam neque facit fructus suos , est quia non dicitur recitare , qui sic recitat , ut se ab onere iterum recitandi non liberet ; sed eo ipso quod Beneficiarius per hujusmodi recitationem non satisfacit oneri Officii , sic recitat , ut se ab onere iterum recitandi non liberet : ergo &c. adeoque &c. Vide Nav.

**CAS. III.** Petronius volens occidere Petrum Clericum , alium Clericum occidit , familiæ suæ valde proficuum . Q. an sit excommunicatus , & teneatur reficere damna ?

Resp. cum dist. Vel una simul cum illo errore adfuit in Petronio voluntas occidendi Clericum , quem videbat , vel non . Si 1. dico , ipsum esse excommunicatum , & obligatum reficere damna , quia in tali casu vere intendit & occidere Clericum , & damnificare proximum , & sic , prout culpabiliter Clericum occidit , est excommunicatus ; & prout proximum culpabiliter damnificavit , titulo damni illati tenetur reparare damna : sicut qui scienter ad Mulierem conjugatam accedit , adulterii culpam , ac peccatas incurrit , etsi eam putet uxorem Titii , & sit uxor Sempronii . Si 2. nempe cum illo errore non adfuit in Petronio dicta voluntas , quinimmo possibiliter adhibuit diligentiam , ne alium non intentum damnificaret ; dico , Petronium nec esse excommunicatum , nec &c. quia cum in hoc casu non habuerit animum hunc occidendi , neque ut Clericum , neque ut hominem , actio ista respectu ipsius fuit mere casualis , involuntaria , ac per accidens ; ac proinde non inductiva censuræ , neque onoris reficiendi damna , neque irregularitatis , nec reservationis casus . Vide Giribaldum de Homic. dub. 13. n. 163. ac de Rest. c. 4. dub. 6. §. 1. n. 48. & Mazzuchellum de Cas. reserv. disp. 2. cap. 7. num. 118.

MEN-

M E N S E J U N I I .

**CAS. I.** Brutus vulnus non lethale inflixit Cæsari , cui cum secundum artem Medicinæ , & Chirurgiæ non fuerint applicata medicamenta , ac debita remedia , mortuus est . Q. an sit reus homicidii , & teneatur ad refectionem omnium damnorum ?

Resp. cum dist. Vel tale vulnus fuit Cæsari inflictum in loco , ac tempore , quo , non obstante omni possibili diligentia , curari non potuit , ac proinde mortuus est ; & in hoc casu dico , Brutum esse reum homicidii , ac teneri ad refectionem omnium damnorum . Vel illi fuit inflictum ubi comode curari poterat , sed ideo mortuus es , quia vel ipse fuit admodum negligens in procuranda sui curatione , vel quia Medicus aut Chirurgus male ipsum curavit ; & tunc dico , Brutum nec esse reum homicidii , nec teneri &c. Ratio primæ partis est , quia vulnus inflictum Cæsari in iis circumstantiis censemur mortale , utpote incurabile ; ideoque eo mortuo , Brutus vere est homicida , sive ut homicida tenetur reficere omnia damna per tale homicidium causata . Ratio secundæ partis est , quia in eo casu vera causa efficax mortis non fuit vulnus inflictum à Bruto , sed vel negligentia ejusdem Cæsaris in procuranda sui curatione , vel negligentia aut ignorantia Medentium , qui non applicuerunt opportuna medicamenta , ac debita remedia vulnerato , per se non difficile sanabili . Addo , in c. *Significasti* 2. de Homicid. Innocentium III. declarare hujusmodi percutientem non esse irregularem : ergo signum est , quod Brutus revera non est homicida , ac proinde tenetur solum ut vulnerans ad refectionem damnorum judicio viri prudentis . Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 15. Bonac. & alii .

**CAS. II.** Vir nobilis per sententiam Judicis quam cognoscit falsam , habuit domum & fundum Petri , qui cum in rebus suis esset valde negligens , nil emolamenti ex domo , & parum ex fundo percipiebat ; ipse vero , cum sit satis diligens , & industrius , locando domum , & colendo fundum , magnum commodum , & utilitatem reportavit . Nunc si stimulis actus conscientiae petit à Confessario ad quid teneatur . Attenditur Confessarii responsum .

Responsum Confessarii est , quod Vir nobilis tenetur Petro restituere , 1. domum , & fundum , quia per illam sententiam falsam , utpote innixam falsis probationibus non amisit Perrus dominium domus , ac fundi ; mens namque Reipublicæ non est , ut , cum sententia niterit falsis probationibus auferatur dominium ; esset enim calumniatoribus favere , & sententia Judicis eatenus obligat , quatenus decernit quod justum est . Nec obstat , quod lata sit servata juris ordine , & secundum allegata , & probata ; hoc enim solum evincit , eam esse validam in foro externo , non autem in foro conscientiae . Valentiā in 2. 21. disp. 3. quæst. 4. punct. 2. §. per defectum . Secundo fructus , ac provenitus , quos ex locatione domus , & ex fundi cultura percipit ; teneat tamen sibi prelio expensatum , laboris , ac industriae suæ in illis percipiendis . Ratio est , quia fructus , ac provenitus domus , & fundi ad eum pertinet , ad quem spectat ipsa res fructifera , 1. Si Titius Inst. de rer. divis. non enim sunt fructus industriae , sicuti est lucrum ex aliena pecunia , quæ sterilis est , sed fructus rei fructiferæ , ut cum communī recte non